

Rhet.

28

Christophori  
VARSEVICII

*Rhet. 28*  
C. C.

Ad Serenissimum utriusque Ba-  
uariae Ducem Guilhelmum  
V. Oratio.



AVGVSTAE VINDE-  
licorum typis Michaelis Mangeri.

---

M. D C.

V A R S E A V G I



A V C A S T A E V I N D E

# Serenissime Princeps & Dn. Clementissime,



St mea verus perpetuaq; consuetudo, tum alibi,  
tum vel in profectionib; quoq; aliquid aliquando  
commentandi. Fuga enim otij, & amœne lucu-  
brationes allenamentum tadij, & Sege ac mate-  
ria sunt nautatis. Quod ita habere se, possem  
nonnullis commentationib; meis variis locis & temporib; editis  
(absit inuidia dicto) testificari. Nam ut vetustiora taceam, & in  
Gallia Auniono Lugdunum, & inde Rhemos cum Henrico eius  
nominis Rege tertio, in turba aulica proficiscens, ut anno ante in  
Craconensem Polonicam ita & in Rhemensem Gallicam inaugu-  
rationem aliquid scripsi, & postea Lutetia Parisiorū typis etiā per-  
uulgaui. Et in morte Maximiliani Cæsaris, triduo ab obitu funebre  
oratione Ratispone in Imperij Comitys edidi, & plures Stephano  
Regi Polonia de eius uictorijs à bello reuertens obtuli, quoties cō-  
tra Moschū exercitum ducebat ipse in expeditionem. Et denig; in  
Suecia Stockholmio Vpsaliam iter faciens, cum Sigismundus tertius  
Polonia & Suecia Rex, in Regem Suetia inauguratus ab his, qui  
nunc contra eum latebram querunt periurio, insurandum fidei  
& obedientie exegisset, ut alia loca & tempora, quibus scripta mo-  
nimenta q; mea (que sunt non pauca) aspicerunt lucem, taceantur.  
Verè enim fari illud queo, quod tamen citra ullam iactationis su-  
spicionem dictum velim, (que regio in terris nostri non plena la-  
boris?) Quantumuis licet aulica quam philosophica vita videri  
magis potuerit mea, tot principum visendis regiis, totque ab  
annis peregrinationibus iterandis. Itaque & nunc quidem  
postremò Romanam proficiscens, & ex itinere ad te deflectens, face-  
re idem volui, & hæc oratiunculam meā, tenuem licet & incondi-  
tam nuper apud te habitam, typis diuulgandam iudicaui, non ut  
aliquid per id quererem laudis satis inanis, sed ut partim mea er-

gate perpetuae obseruantie, vel aliquod saltem monumentum extaret sempiternum, partim ut tuo exemplo ad imitandum proposito, alijs atq; alijs ad pietatem omnium matrem virtutum vehementius accenderentur. Alienigenis namq; exterarum regionū, laudibus describindis, fides semper maior procul dubio adhibetur. Debemus autē Principib. tui maxime similibus nos nostraq; hac in parte omnia, nec ijs laudandis reformidanda quam superarint est inuidia. Ac tametsi non potest non ei esse laudi, laudatisimum qui laudauerit, tamen ego non respexi eō, ac nec unquam quidem respexero, cum preter quod gloriam Crocodili instar esse statuo, quae persequenter fugiat, fugientem ipsa persequatur, meum illud in sex unum & à tot annis impressum, nunquam mutauero paradoxum. Quod honoris & glorie ambitio sui ipsius sit obliuio, cū ut penè infinita vetustatis exempla, quibus id planum fit preterantur, vel hoc adhuc uno vertente anno, Andree Bathorei & Michaelis vulgo Vaide falso dicti casus satis docuerit, quam praeteps & lubrica illa ipsa sit ambitio, uno illo Trāsylvaniae ab ijs querendo & paulo post amittendo dominatu. Qui enim aliena iniuste rapit, sua iuste amittit. Quanquam nec Michaelis sua dici poterant, nec quae Polonici Regni perpetuò Valachia fuerat ijs artibus queri debebat. Sed missa hac faciamus. Tu interim quidem Sereniss. Princeps, sit tantum otij fuerit, & si voluntas quae fuit erga me semper promptiss. tulerit, nostra lege, & veteratum clientem veteri clementia prosequere. Ego pro humanitate & benignitate tua, quam Monachij mihi declarasti, quas maximas possum gratias tibi ago & habebo sempiternas. Vale. Augusta Vindelicorum, VI. Decembris Anno 1600.

# C. WARSEVICII

C. C.

Ad Sereniss. utriusq; Bauariæ Ducem GVLH-  
MVM V. Oratio.



Vm in hac senili & affesta ætate mea, Prin-  
ceps Serenissime, & hoc hyemali & alieno  
anni tempore continuanda Romam mihi  
esset profectio, volui nihilominus vel ali-  
quid de recta deflectere via, (quanquam  
quod sciam rectior, quam visendis locis & principib. sa-  
cris nulla fuerit,) ut te Principem & Dominum meum,  
quem à tot annis colo, non sine voluptate animi, ante su-  
premam diem meam adhuc viderem, & eo quo par est  
cultu & alloquo venerarer. Non potuit, ac ne debuit  
quidem illa locorum temporumq; efficere distantia, ut  
tam preciosi capitis deponerem memoriam, tot humanis-  
simis tuis literis ad me idētidem datis, s̄apie renouatam.  
Nam ex quo glorioſiſſimæ memorię genitoris tui, tuāq;  
in notitiam veni, quot utique ab annis paulò minus quam  
triginta accidisse memini, in quacunque tandem aula Re-  
gum & Principum versatus sum, (ut certè versatus sum in  
aliquibus) Principem adeò pium & Catholicum in oculis  
semper te tuli, & legatos tuos viros, undiquaque ornatiſ-  
simos, passim in Germania, Polonia, Boëmia, Suecia, nul-  
lis non humanitatis officiis, perpetuò honoraui. Debe-  
tur hoc tibi, ut quotquot Catholicae & Orthodoxae religi-  
onis sunt cultores, & Sacroſanctæ Apostolicæ sedis am-  
plitudinis defensores, merito tuo maximo, omnes te ſu-  
ſpiciant, & tanquam Germanici nominis & ſeminis  
decus, & vetuſiſſimæ columen familiæ, perpetuò  
venerentur. Is enim profecto es, qui clarissimis illis

Bauarici sanguinis Cæsaribus ortus, & Alberto Bauariæ  
Duce, omnium Germaniæ Principū sua ætate facilè prin-  
cipe, & Anna, Ferdinandi Cæsaris filia matre natus, quod  
nō dedisti exemplum virtutis, pietatis, prudentiæ, & beni-  
gnitatis tuæ erga omnes singularis. Non soleo equidem  
ullius tribuere plusculum auribus, sed cum tu tuaq; o-  
mnia proposita ad imitandum sint, semperq; fuerint, da-  
bis mihi hanc veniam, accommodatam huic temporis, &  
quemadmodum spero, tibi etiam non ingratam, ut mihi  
libertatem sumam de præstantissimis tum virtutib. tum  
ditionibus tuis, auitæ religionis, constantia insignitis,  
paulò copiosius differendi : Nulla, quod ego quidem  
sciam, integra Germaniæ reperitur prouincia, quæ expers  
tot sectarum, dissecatarumq; in se hæresum habeatur, u-  
na illa excepta Bauaria, quod Deus Opt. Max. cunctæ  
Germaniæ perpetuum esse patiatur. Etenim cùm superiori  
tempore, nō modò Germanici Imperij ordines, sed & ho-  
mines omnes noui dogmatis studio incenderentur, ferè  
soli, aut saltem inter præcipuos præcipui utriusq; Bauariæ  
Duces, eo suos prohibuerunt, & auita religione cum suis  
subditis colèda cōstantissimi extiterūt, quod nō tam casu  
feliciter, quām consilio sapienter factū, ita eis cessit, ut li-  
cet interdum inuidiæ vulgo aliquid, semper tamen auto-  
ritatē maximam in Germaniæ Principibus procul dubio  
fortarentur, est enim auitæ pietatis magna ubique reue-  
rentia, sed vel maxima in religione firmitatis. Id ita re &  
veritate probatum fuisse, cum alias semper, tum vel po-  
tissimum illo födere videre fuit Smalcaldico, quod à  
Germanorum urbibus & Principibus contra Carolum v.  
Cæarem & dominum ipsorum temerè percussum, & si-  
mul consilia Hæreticorum omnia, Deus Opt. Max. dissipa-  
uit, adhærente ei maximè Guilhelmo Bauariæ Duce,  
tuo illo gloriosissimo auo, ut ad eius urbem Ingolstadi-  
um,

uin, omnes illę Saxonis & Landgrauij copiæ, quæ multò  
Cæsar is superiores fuerant, eluderentur. Quod nisi fuisset,  
haud facile dixero, si non maior pars vicisset meliorem;  
Consilia enim hominum, euentus præstare bonos, solius  
est diuinitatis. Quo etiamnum Ingolstadium non modo  
bonarum artium studijs, sed etiam tua, sui Principis gra-  
tia, & multis præclarisq; alijs laudibus efflorescit. Fides  
enim suo seruata Principi, & nauata opera religioni, in-  
primis cōmemendantur. Quam primum quidem in auro tuo,  
erga suum Cæsarein, demum & in Ingolstadio ipso, con-  
tra tuum auum liceuit cognouisse. Sed quid ego unius tan-  
tum Ingolstadij, & non etiam plurium tuarum urbium &  
omniū quotquot sunt in ijs Catholicorū mētionem fece-  
ro? Quid non Monachium metropolim & sedem Princi-  
pum? Quid non Landshutum? Quid non Straubingam?  
Quid non Burchausen commemorauero? ut alia oppida  
plura, quæ triginta & quatuor numerum efficiunt, tace-  
antur. Nam alia quidem loca clara miraculis, quo pere-  
grini vota sua faciunt, quod sint plura & varijs nomi-  
nibus insignia, nec attingere audeo, ut Ottingam ve-  
terem & Duntenhausum, utraque loca cultu Deiparæ  
clara, & Andechtum montem sanctum, vulgo, ob tot  
tantasq; reliquias Christi & Sanctorum appellatum, ut ad  
Saluatorem propè Ingolstadium & Bogem Bergum ad D.  
Virginem, alia non cōmemorem. Et ut deniq; septuagin-  
ta duo monasteria, Xenodochia, quæ in Bauaria, &  
Bauariæ Ducum munificentia in Germania extructa  
sunt, non percenseam, superius & inferius Altaich, De-  
gerense, S. Emeram, Ratisponæ, Aller Spalems Thnslcap-  
len, Chiemense, & aliorum nominum quamplurima,  
Iam verò si quæ tu ipse cum in alia monasteria,  
tum in almæ Societatis Iesu collegia beneficia contule-  
ris, enumerare velim, dies me deficiet. Nam Monachij  
quidem primū à fundamentis extruxisti Jesuitarum

collegium, & templum utrumque regio planè sumptu &  
apparatu fundauisti. Demum etiam & Ingolstadij ædifi-  
casti alterum, & domum quam vocant coniectorum.  
Quid dicā, quod tuo, filijq; olim tui amplissimi Cardinalis  
fauore & autoritate Monialium monasterium S. Pauli Ra-  
tisponæ in Collegium Societatis fuerit etiam commuta-  
tum, & pleraq; alia per Germaniam ditata monasteria, &  
magnifica supellestili aucta, & planè regali munificentia  
exornata. De quo quidem Monachio, & eius magnifi-  
centia, ac sacrarum ædium apparatu, multa & præclara  
alia possem dicere, si proprio quodam atque innato  
celebrandæ patriæ studio, ut vel vetustiora quoq; non si-  
leantur orationis nō abriperet me contentio. In hac enim  
urbe ante cētum circiter quadraginta annos Casimiri ter-  
ti Regis Poloniæ filiæ celebratæ sunt nuptiæ, & ita quidē  
celebratæ, ut Maximiliani primi Cæsaris & duorū Regum  
Bohemiarū & Daniæ, multorumq; aliorum Principum in-  
teruentu, nullæ in Germania maiori pompa & apparatu  
memorabiliores habeantur. Rarum est enim Regum &  
Cæsarū filias Principibus elocari. Rarius verò tot(ut ita di-  
cā) Monarcharū præsenti eorū nuptias cohonestari. Quā-  
quam ego Bauariæ Duces, ex quibus Imperatores & Fran-  
corum extiterunt Reges, non principibus tantum, sed e-  
tiam alijs quibusque Regibus æquiparandos censeo. Ut  
pote cum & Bauaria ipsa regnum aliquando fuerit, & eos  
Dukes habuerit, qui orbem terrarum impleuerunt nomi-  
nis sui gloria. Quo magis & Bauaria illa ipsa ob auitam re-  
ligionis constantiam quām diutissimè pacata, & cum fre-  
quentia elegantiaque oppidorum, tum humanitate  
ciuium, tum & insignitum varietate rerum & templo-  
rum, Academijs, Monasterijs, potenti ac numeroso  
Clero Scholasticorum numero est fuitq; semper cele-  
brata. Ac cum in Bauariam ipse venissem, prisca illa  
Germanica postliminio reuerti vīsa mihi est religio,  
et nos . A . unde

nde & rerum omnium copia & elegantia singularis. Quo ipso etiam loco non possum non meminisse dicti illius, cuius aliquando gloriosissimus ille Princeps Albertus Bauariæ Dux, Pater tuus Augusto Saxoniam Duci, in Augustanis Comitijs annis ab hinc prope quadraginta respondens audiente me autorfuerat, cum bene illum eam iacturam, quam quadam occasione fecisset, pati posse, & à suo Clero multo maiorem pecuniam obtenturum testaretur. Quod utiq; sibi ut vel tot aut etiā plures in Saxonia Ecclesiastæ fuissent, speratu quām obtentu facilius ab ijs videretur. Ego verò, inquit, tuus Pater, non in rem lūderam, sed in diuersum longè usum à Sacerdotibus pecuniam patior mihi aliquando corrogari. Quos mirum non fuerit, nihil sumptuum tibi suppeditare potuisse. Oues enim tondeo tantum ego meas, tu verò etiam iampridem deglutisti. Et verè, quid enim Henrico Octavo Anglorum profuit Regi, Decem propè monasteriorum millia simpiè profanasse & spoliassse, cum ipse omnium Anglorum Regum pauperior & inglorius obierit. Ut enim aliarum avium pennæ aquilæ pennis, sic profana sacris bonis commixta ad nihilum rediguntur. Vidi nuper admirabile quid in Palatinorum Rheni prouincia, ab altera Ratisponæ parte, quæ aliquando Bauariæ metropolis fuerat, profanatum Simelij monasterium, & monasterij loco taberna constituta, ut ubi antea Diuinis omnia laudibus, ebriosorum vocibus nunc personarent. Quid interim mirum, si in Germania similibus moribus & temporibus omnia etiam in deterius ruunt, & auita religione contempta, Germanorum tam animi quām corporis præsca illa & spectata fortitudo (quod cum gemitu loquor) sensim quidem, sensu tamen doloris & infamiae maximo obfolescit, & à curiosis auguribus quibus centum ab hinc annis Germania abūdavit, repleta esse cuncta hæresibus, & deniq; an non turpe & indignum videatur, sublatis è

publicis vijs C H R I S T I crucifixi imaginibus, tantum ea  
collocari signa, ex quibus unde ventus flat vel refat, co-  
gnoscatur, næ haud isti intelligunt, homines videlicet vē-  
tosi & incōstantes, vel eo ipso testari se, quām omni vento  
doctrinæ, ut Apostoli verbis utar, facile circumferantur.  
Quām quidem reūtē id faciant, viderint. Etenim ut ventū  
aliquis libentius obseruat, quām summi illius Iesu Christi  
crucifixi beneficij recordatur, ita & vento ex sulphurea  
materia cōflato, diuinitus etiam in inferno punietur. Sed  
ad te Princeps Serēnissime redeo, qui cum rerū humana-  
rū in sola inconstantia constantiam intuerere, procreata  
tam præstanti sobole, & Maximiliano Duce filio, ad clauū  
Reipub. collocato, simul cum uxore, raro & memorabili  
exemplō, te tanti Principatus administratione abdicasti,  
& in priuatum domicilium penes templum contulisti,  
quod tanto, tamq; regali sumptu ad laudem Dei & nomi-  
nis tui perpetuam celebritatem, posterorumq; decus &  
splendorem extruxisti, nullius etenim sumptus & laboris  
in eius honorem cuius sunt, & cui debentur omnia, par-  
est nos tādere: Enim uero ignoramus, ubi alij principes  
multi, multa venationib. epulis, congiarijs, equis & alijs  
profanis tribuūt usibus ædificijs, in tua Bauaria plurimis  
Ecclesijs, magnifica suppellectili instruendis, sacellis sum-  
ptuosissimis erigendis, antiquitatib. varijsq; alijs & artifi-  
ciosis rebus gemmis unionibusq; distinguendis, animū &  
pietatē tuam ostendere te voluisse, & rarū ac admirabile  
præsenti ac postero æuo nominis I E S U obseruantiae exē-  
plū reliquisse. Etenim, ut quidā Patrūfamilias nescio quis,  
liberos suos peregrē profecturos, ne in ea urbe, ubi mala  
horologia essent, diu moras traherent, hortabatur, quod  
vel una ea re malū ordinem cognosci in ea posse testare-  
tur. Ita & ego, in qua nominis Catholici urbe Iesuitarum  
deessent Collegia, non omnium feruentissimæ dicerem  
argumentum extare pietatis. Societatis enim Iesu scripto-  
res

es & concionatores, iuuentutisq[ue] magistri nau[er]i, principes ipsi p[ro]ij, & dicto audientes, subditi, religiosi, paupertatis quam uouerunt, amantes, presbyteri casti, omnes Catholici feruentes & uniti, hoc infelicitasculo h[er]eticorum artes partesq[ue] retardant. Iam verò cùm non alia magis re, quām in Collegijs Societatis Iesu & templis suō or- dine & iuuentutis institutione, ac sacrarum ædium ima- ginumq[ue] nitore, homines ad deuotionem in primis com- moueātur, quantū vel hoc ipso nomine debeat tibi, qui talium tantarumq[ue], ut ita dicam, elegantiarum aut potius sanctissimarum rerum apud eos pater & author es, quis ignorat? potissimum cum & tu demum ipse tanti nomi- nis princeps non procul ab ijs priuatas tibi ædes extrui cu- raueris, ut corām Deo Opt. Max. in templo assiduē ve- nerabundus procumberes, & illud supremum nomen & numen Iesu, ad quod omne flebitur genu, supplex & demisse adorares, recte ut mihi videar hunc quantulum- cunque de cognitione sui librum meum, donare tibi non modō potuisse me, verūm etiam debuisse, qui, quod alij otio commentantur, tu vita Deo sacrata, morib[us]que tuis sanctissimis, ipsa re iampridem expressisti. Quo magis de his tuis tuorumque laudibus, nulla unquam ætas, nullius literæ, non lingua, non vox non oratio conticescat, præsertim cùm non solum Collegia nomi- nis Iesu Societatis erigere & locupletare, sed ut dixi, priuatam etiam vitam longè à strepitu pompaq[ue] remotam agere habeas constitutum, alijs ad exemplum & gloriam nominis tui immortalem. Ut in hoc sæculo demisse vi- uens, in altero celso potiaris loco, & diadematæ sempiter- no. Fecit hoc ante te etiam quidam Lotarius Cæsar: à quo prouincia Lothoringia nomen, & tu ex clarissima illa re- galiq[ue] familia coniugem es fortitus, fecerunt alijs etiam quāmplurimi, fecit postremo & Carolus quintus auus tu- us maternus, tot Regum Principumq[ue] viator & Indiarum domi-

domitor augustus. Quid nouum, aut quid non potius  
cum admiratione prædicandum; Idem quoque te fe-  
cisse, & omnes numeros & partes Christiani principis  
perfectionis exprimere voluisse, multū n. est pennicillo a-  
liquid adūbrare fētē, sed summū vitæ testari firmitate.  
Quocirca laudib. quidē decātandis tuis, & ut ante dixi nō  
modò vox & memoria, sed ætas etiam ipsa me deficeret:  
verūm cū difficile fuerit virtutes tuas percensere cun-  
ctas, & vel aliquas præterire nefas, tu qui mundo immun-  
do abdicasti te nō opinor exquisitas laudationes, quæ  
speciem quandam assentationis habuerint, à me requires,  
optinorūm principum propositæ ad imitandum virtu-  
tes diuinitati in orationib. pijs, potiū commendentur,  
quām verborum lenocinijs, vel pigmentis ijs audientib.  
commendentur. Pulchrūm quod per se existit, dictu pul-  
chrius non fit, nec Sol qui collustrat omnia, allata aliun-  
de luce magis splendescit. Reliquum ergo fuerit, ut Deum  
Opt. Max. supplex orem, ut quām diutissimè saluum &  
incolumem, & te, tuiq; similes principes plures quotidiè,  
si fieri queat, nobis perpetuō largiatur. Evidem is sum,  
eroq; perpetuō, qui optimor. principum colendor. nihil  
minūs quām aliquam vel minimam patior. satietatem. I-  
taq; non modò ipsum te quoad anima superabo mea, qua  
debeo colam, obseruantia, verūm etiam serenissimū Prin-  
cipem Maximilianum filijum tuum, aut potius viuām effi-  
giem tui, qui non modò in principatus, sed & in virtutis  
tuæ paternæ hæreditatem uno omniū ore prædicatur suc-  
cessisse, perpetuō venerabor. Et quod officij & professio-  
nis meæ ratio in primis postulat, Deum petam Opt. Max.  
ut qui autor & fautor bonorum ipse principum est omniū,  
& qui in hoc Europæ turbine & nostra nostrorumq; patrū  
parum felici tempestate, perpetuō vos rexit & texit, in po-  
sterum quoq; non modò saluos & incolumes, sed quām  
maximè etiam florentes & diuturnos perpetuō reddat &  
tueatur.